

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Johannes Sperlette,
Philosophiae Moralis Professor Publicus Ordinarius, Una
Cum Reliquis Professoribus, Ad Festum ...**

Sperlette, Johann

[Halle], [1705?]

VD18 13087673

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-196203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-196203)



55
PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
JOHANNES
SPERLETTE,
PHILOSOPHIÆ MORALIS
PROFESSOR PUBLICUS OR-
DINARIUS,

UNA CUM
RELIQUIS PROFESSORIBUS,
AD
FESTUM PENTECO-
STALE

vera sanctimonia celebrandum, ignemque
diuini Spiritus, tanquam unicum salutis ac
sapientiæ fontem quærendum & cu-
stodiendum,

CIVES ACADEMICOS
OMNES ET SINGULOS

AMANTER COHORTATUR, interprete D. Paulo Antonio.

P. P. IN UNIVERS. HALLENSI A. MDCCV.



INCORRUPTUM SPIRITUM!

Steph. Gauss-
nus de Nat.
Theol. p. m. 113.



DE Christianæ religionis, quæ vera unice est, indole ac natura non immerito sic quidam scribit: *Cum tu ab ea, quæ in mundo revelata est, sapientia, ad stultitiam crucis, hoc est, ad Disciplinam nostram, quæ est doctrina de cruce, cogitatione devenisti; ibi nova omnia, novus ordo, nova facies rerum, novum cælum, nova terra, dogmata,* quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt; quæ nemo præter spiritum Dei, qui solus novit ea, quæ sunt Dei, nobis gratificari potuit. Quare qui Methodum Christianam leget, animum suum longo usu, longa consuetudine cogitandi (præsertim potentia Verbi entheæ convictus) in id assuesfaciat oportet, ut, cum Theologiam effingit animo, aliquid effingat toto genere diversum a Natura; plane quasi eum Deus in alium orbem momentò raperet, cujus structura nihil omnino simile haberet cum hujusce mundi compage: novi colores, nec antea unquam visi; nova lux, & nova lucis causa, soni, quibus aures pulsantur, alii; alia & inexplicabilis incolarum natura: uno verbo, plane diversa principia, in quorum cognitione investiganda, te Physicæ principia non magis adjuvent, quam ad cognitionem Angelorum te possit lapidum cognitio adjuvare. Quæ quidem consideratio rerum divinarum est digna omnino, cui impensius apud animum locus detur, quam fere fieri solet. Opportunior vero occasio non erit facile, atque ista existit, quam quotannis Pentecostale hoc Festum repræsentat. Neque enim aliam ob causam venerabile illud præbebatur spectaculum, nisi ut mortales, ignis ex linguis animadverterent, cœlestia sensibus cœlestibus haurienda esse; simulque, tot auditis nationum diversarum diale-

ctis

DE INCORRUPTO SPIRITU.

etis, æternæ salutis beneficia non uni amplius genti, sed orbi universo parta ac destinata, divinitus palam offerri, monerentur.

Obstupeſcebant illi omnes, & hæſitabant, dicentes alius ad alium; *Quid hoc eſſe poſſit?* alii vero cavillantes, multo peiora emittebant. Scilicet tam ignari erant miſeri ſuorum defectuum, quibus e *Protoplaſtorum* lapſu ægrotat gens humana, ut nihil curarent minus, quam ita aſſurgentem amiſſæ lucis præſentiam.

O miſeras hominum mentes! o pectora cæca!

Erat aliquando, erat in Paradifo is ſtatus beatiſſimus, ut primi homines Spiritus S. lumine eſſent penitus colluſtrati, atque ex eo vitam perciperent omnis & culpæ & corruptionis expertem. Poſteaquam vero pravæ cupiditatis flamma per carnem emerſit, tantopere corrupta eſt natura, ut hæc ignis ſpiritualis divinam indolem actutum perdiderit funditus. Hinc illa mentio *Petrina* τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, corruptionis, quæ in mundo in cupiditate reſidet, ex qua nimirum originem ducit ſuam. Ita ergo intime eſt deperditus totus homo, ut plane alium ſibi fecerit ac conceperit animum, quam qui a Conditore, inditus ipſi fuerat; alias cogitationes & ſenſus de rebus omnibus, aliam propenſionem atque appetitum, omnia denique aliatum iudicia, tum deſideria, priſtinis ſanctiſſimis puriſſimiſque ex adverſo oppoſita undiquaque. Neque ullus unquam eſt aut fuit, qui in iſthoc concupiſcentiæ innatæ malo corruptionem ineſſe arbitraretur, quam diu ſuum ipſius ductum quiſquam ſequutus eſt: nedum in eo elaborabit ultro aliquis, ut digne fugiat perversam iſtam, quæ in mundo verſatur, cupiditatem. ſectantur eam potius quilibet, immo ſic expolire conantur, ut virtutum omnium ſimulacra in eadem, effingant, ne de fraude quidem, quam ſibimet ipſi inferunt miſerrimi, vel leviter ſuſpicantes. Quo magis autem & diutius ſic agunt, eo recedunt longius a luce Spiritus Sancti, unde animarum medicina omnis vera ac viva proficiſcitur. Ergone vero ipſam nec intra ſe mortem mortales ſentiunt? mortalitatem, quippe ecquis ſibi propriam negabit? iſtāque nihil eſſe aliud,

DE INCORRUPTO

Gen. III, 1. 7. 8.
II, 17, 18, 19.

Act. II, 38.

quam corruptionem ipsam, quis ignorat? hanc etiam, quæ in his corporis compagibus, tanquam vermibus immortalis, hanc vitam corrodit, ex animi, seu præsidis sui, labæ quadam interiore perennem habere scaturiginem, substantia nostra, quæ ratione gubernatur, ex se testatur satis & demonstrat. Tum, quomodo spiritus nostri corruptio exorta sit, perfido concupiscendi actu hominem privans illibatis viribus, atque in sensuum depravatorum carcerem trahens; primi delicti historia docet miserabiliter, docetque pariter conditionem, qua factum, ut ex eo & mundi & corporis & animi indoles sit nimium inquinata, & nunc corruptio in mundo in ipsa cupiditate insit. Quamobrem, intelligitur protinus, id quod S. Petrus urget, tam atrocem effectum (τὴν φθορὰν, mortem spiritualem,) haud tolli posse, nisi ejus causa, nempe cupiditatis incendium, in nobis exstinguatur ita, ut illud effugerimus, recipiamusque novum Spiritus S. ignem, cujus oblatis documenta sunt faces linguarum ardentes. Itaque corruptissimis illis obstrepentibus, *Quid hoc esse possit?* Apostolus respondet, *Hoc esse: μετανοήσατε, Resipiscite, migrate mentis pravitatem! & baptizetur unusquisque vestrum super nomine JESU Christi in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.* Quibus sane divinus auctor significat, ineundam totius cordis expurgationem, atque ut sanctioribus uti possint notionibus in re omni, opus esse afflatu ipso Numinis sanctissimo.

Animadvertamus igitur, quando pollicitatio spiritualium donorum opponitur antegressis vitæ animalis erroribus, promitti aliam animorum indolem, quæ cœlesti polleat principio, vanitatem pristinam coercente ac compensante. Dicitur illa in sacris litteris ἀφθαρσία, incorrupta spiritus natura, quæ non ex humanis, sed a Deo collatis viribus hauritur; restituens per regenerationem & sentiendi & judicandi facultatem integram illam, quæ ante Lapsum extiterat, licet non tam perfectionem referat eandem, quàm veritatem. Certe Apostolicum votum, quod Epistolam ad Ephesios in fine obsignat, gratiam addicens his omnibus, qui dilexerint Dominum nostrum Jesum Christum ἐν ἀφθαρσία, sub hac voce nihil requirit aliud, quàm statum spiritus & ima-

ima-

imaginis Dei vere instauratum. Non perperam quidem reddit e-
am Erasmus, cum sinceritate; sed aliquam modo istius proprietatem
generaliorē sic exprimens. Græcus etiam Scholiastes, cum
amoris perpetuitatem descriptam putat, positumque esse, ἐν
ἀφθαρσίᾳ, pro adverbio ἀφθάρως, non abludit a mente Scri-
pturæ; quam nec ipse tamen plene, uno durationis respectu,
enunciat. Ut notemus enim, quod res est, respicit S. Paulus
ad ea, quæ supra docuerat de veteri & novo homine; illum argu-
ens, τὸν φθαρζόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, laborare
intima corruptione secundum cupiditates, ex errore oriun-
das; hunc vero prædicans, situm in spiritu mentis renovato, ita
induendum, ut creatus est juxta Deum in justitia & sanctitate, tanquam
fructibus veritatis: quippe quam, vanitati mentis oppositam, in
Jesu Christo, omnibusque ejus membris, ipsum adeptis atque e-
doctis, inesse, contenderat. Quodsi idcirco veteris hominis
vanitas consistit in eo, quod animus humanus concupiscentiis de-
ceptricibus perdatur; contrā, veritas novi hominis non erit alia,
quam quod, cessante illarum dominatu, mens sanitatem spiri-
tus recuperarit, nec corruptioni cedat amplius: id quod est, a-
gere ἐν ἀφθαρσίᾳ, & constanter Christum diligere in spiritu &
veritate. Quæ tota causa insigniter illustratur eo Augustini: Quan-
to magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur; non
tantum charitatis erga proximum, quod consequens demum
est, sed primo quidem maxime charitatis Dei, quatenus hanc Spi-
ritus Sanctus in corde effundit, superante peccati imperium. Id ipsum
videlicet Petrus affirmat, cum divinam naturam, hoc est ἀφθα-
ρσίαν τῷ πνεύματι, spiritum incorruptum dicit obtineri, si effu-
gerimus τὴν φθοράν, contrariam corruptionem, in mundo ipso,
& quidem in cupiditate intra nos expugnandam, nec denuo
amplectendam. Nec dubium de hac Apostolorum sententia
relinquitur, quandoquidem non modo Pauli, verum etiam Pe-
tri expressum ejusdem loquutionis atque eundem usum inve-
nimus, ut ὁ κενυτός τῆς καρδίας ἀνθρώπου, occultus ille cor-
dis homo, collocetur ἐν τῷ ἀφθάρτῳ τῷ πνεύματι, ἡσυχίᾳ πνεύ-
ματος, in spiritu leni & quieto, eoque incorrupto, i. e. qui ejus
sit

c. IV, 22, 23, 4.

v. 17, 21.

De Doct.
Christi, L. III.
c. X.

Rom. V, 5.

1. Petr. III, 4.

DE INCORRUPTO

fit divini roboris, ut ne carnis illecebris corrumpi se patiatur. Hæc enim gratia data est nobis & patefacta in Christo Jesu; siquidem abolevit hic ipsam mortem, seu corruptionis fontem, & per Evangelium in lucem produxit vitam atque incorruptionem, ἀφθαρσίαν, secundum quam habeamus spiritum, non timiditatis aut pudoris, at roboris, & charitatis, & moderationis. E quibus testimoniis ac fundamentis satis constat, incorruptum statum non attribui futuræ tantum gloriæ, de qua penultimo capite prioris ad Corinthios agitur; sed primitus quidem ad hanc vitam in fidelibus pertinere, ac novæ creature signare indolem apud eos, utpote qui regeniti sunt οὐκ ἐκ σπογᾶς φθαρτῆς, ἀλλὰ ἀφθάρτου, non ex semine corruptibili, ast incorruptibili, per verbum Dei vivum & manens in æternum. Retinuit pia Antiquitas sanctissimam hujus rei curam & meditationem, cujus nec in ultimis suis precibus B. Martyr Polycarpus immemor erat; Benedico te, inquit, qui me in hunc diem, & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum, & in calice Christi tui, in resurrectionem vitæ æternæ, anima simul & corporis, in (ἀφθαρσίᾳ) incorruptione Spiritus Sancti. ubi statum animæ tunc præsentem grata erga Deum mente agnovit, per Spiritus Sancti inhabitantem gratiam paratus ad remigrationem beatissimam. Videtur autem mentione illa maxime id spectare, quod ἀφθαρσία spiritus fidei una eadēque sit, quæ radicem contineat resurrectionis vitæque æternæ, ut Paulus edocet: Si Spiritus ejus, qui excitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; is, qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis. Item: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Quando Christus, vita nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis in gloria. Unde pergit Apostolus, si mortificent membra terrestria, fore, ut renovatio illa incorrupti spiritus, imagini Creatoris congrua, magis magisque efflorescat. Quod quidem ipsum opus Spiritus Sancti est, commendatum nobis ante omnia.

Erant Seculo VI. errantes quidam, incorruptibiles dicti seu
Aph-

2. Tim. I, 7, 8, 9,
10, 11, 12.

1. Petr. I, 23.

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
IV, c. XV.

Rom. VIII, 11.

Col. III, 3, 4.

SPIRITU.

Aphthartodocitæ, perhibentes, Dominum in *exinanitionis* statu corpus habuisse, nulli corruptioni aut passioni obnoxium; temere arbitrati, dignius id statui de Christo, nec memores, totius salutis sic everti causam. Non dissimiles illorum fuerint, si qui existiment, *vivificationem*, sive *in corruptionem* Spiritus Evangelicam, obtineri posse, licet *mortificationem*, seu conterendæ carnis curam, haud obseruent tantopere: quasi vero Christum resuscitatum velint, antequam sit mortuus. *Spiritus S. quum venerit, arguet mundum.* Et hoc monebant igneæ linguæ in Apostolis. *Quemadmodum aurum vel argentum, inquit Macarius, coniectum in ignem, purius & probatius efficitur; nec quidquam potest illud mutare, nempe vel lignum vel herba: omnia enim sibi adjecta consumit, quæ quidem in ignem invadunt. Sic quoque anima in igne Spiritus, & in lumine divino conversans, nihil a quoquam pravorum Spirituum patitur: & licet appropinquet quidpiam illi, consumitur id a coelesti igne Spiritus.* Ita igniculus hic demum fit animæ vita & incorruptio, vitesque Evangelii exserit, victoriæ ac solatii plenissimas. *Si quis igitur in Christo, nec quenquam, nec quidquam novit secundum carnem; nova creatura est: vetera præterierunt, neque lineamenta istorum ulla adhuc tolerantur. ecce! nova facta sunt omnia, nova iustitia, nova pax, novum gaudium, nova charitas, nova prudentia, nova temperantia, novæque omnes virtutes; nec non sapientia, & scientia omnis, longe alia & nova.* *Procesit nox, dies autem propinquavit.* Efficit hoc ignis ille Spiritus Sanctissimi incorruptus, vitia consumens, veluti spinas & stipulam; accendens vero optimorum lumina & sensuum & affectuum, inflammansque pectora ad omne opus divinum, stabile ac bonum. *Accipiunt eum (ait iterum Macarius, vere sic appellatus) Christiani intus in corde suo nunc in hoc seculo; & ille ipse, qui intus nunc cor illorum dirigit, quando corpus dissolvitur, erumpit; idemque rursus coagmentat membra, & facit resurrectionem dissolutorum membrorum. Quemadmodum enim ignis, qui Hierosolymis ministrabat altari, tempore captivitatis, defossus erat in fovea, & ille ipse pace facta, ac reuersis captivis veluti renovatus suo more serviebat; sic & corporis hoc familiare, quod post dissolutionem in cænum vertitur, rescit & renouat ignis coelestis, & resuscitat corrupta corpora.* Interior enim ille ignis,

cordi

Evagrius lib.
iv. c. xxxix. Ni-
ceph. lib. xxix.
xxxi. Baron.
Tom. vii. ad a.
DLXIII, IV.

Rom. vi, 5, 6. &c.

Joh. xvi, 8.

Hom. xxx, §. v.

2. Cor. v, 16, 17.

Conf. Apolog.

Aug. p. 134.

Rom. xiv, 17.

2. Petr. i, 5, 6, 7.

Rom. xiii, 12,

Hom. xi, i.

DE INCORRUPTO SPIRITU.

cordi nostro inhabitans, tunc emergit, facitque resurrectionem corporum.
Cetera legantur in Auctore ipso, quomodo, quicquid anima incorruptum intra se formari permiserit, ex eadem flamma permanente sit conspicuum futurum in extremo die.

Quæ quum ita sint, Commilitones! quis inde non percipit, quantum in hoc corpore corrupto incorruptionis bonum aſſequi, lucrumque æternum acquirere liceat, ſi tam voluntatis noſtræ, quam voluptatis, perverso arbitrio bellum indixerimus? O vos miſeros, ſi intelligitis, miſeriores, ſi non intelligitis, cupiditatibus veſtris corruptionem omnem detineri, ſemperque augeri.

Luc. XI, 9. 13. O beatos, qui lucem Spiritus æternam, orando, querendo, pulſando impetrabunt, qua intimum illud malum adorianſur & aboleant,

2. Cor. III, 18. 17. & reſecta facie gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem tranſformentur e gloria in gloriam, ſicut a Domini Spiritu. Dominus enim ipſe Spiritus ipſe eſt: ubi vero ſpiritus ille Domini, illic libertas. Hinc tum omnis fiducia exoritur, ut nulla in parte ſequeſcamus; ſed abdicata fugiamus turpitudinis tegumenta, non ambulantes in aſtutia, neque falſantes ſermonem Dei, verum ipſius veritatis declaratione commendantes nos ipſos apud omnem conſcientiam hominum, in conſpectu Dei. Angeli quoque & adminiſtratorii Spiritus ſplendidi huius ignis participes ſunt, ſecundum id, quod dictum eſt: Qui facit angelos ejus Spiritus, & miniſtros ignem ardentem.

c. IV, 1. 2. Hic ignis trabem interioris oculi conſumens, purum reddit animum, ut recepta naturali facultate videndi, conſpiciat perpetuo mirabilia Dei, ſecundum eum, qui inquit: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Pf. CIV, 4. Hic itaque ignis fugit dæmones, tollit peccata, reſuscitandi vim habet; hic

Ebr. 1, 7. immortalitatem operatur, ſanctas animas illuminat, & facultates rationales firmat. Hunc ignem obſecremus ad nos quoque pervenire, ut perpetuo in lumine ambulantes, nunquam vel tantisper offendamus ad lapidem pedes noſtros, ſed velut luminaria in mundo apparentia, verbum æternæ vitæ retineamus, ut bonis divinis frucentes cum Domino in vita requieſcamus, glorificantes Patrem, & Filium, & Spiritum S. cui gloria

in ſecula. Amen.

LITTERIS ORPHANOTROPHIL.

W 48

